



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Apis Argvmentosa P. Georgij Schrötelij**

**Schrötcl, Georg**

**Coloniæ Agrippinæ, 1633**

Avrora Consvrgens. a.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46515)

abyſſo. Ah doce me celerem, eumque  
 conſtantem in via mandatorum Dei,  
 curſum, & progreſſum, tibi Deoque ſoli  
 notum. Amen etiam parvus & humilis  
 coram Mundo haberi. Ardeat cor me-  
 um vt alios quoque tui, rerumque cœ-  
 leſtium amore inflammare poſſim, &  
 cum iuſtis aliquando fulgere, ſicut Sol,  
 in conſpectu Dei. Quæ in cælis corona-  
 ta triumphas in omnem æternitatem.  
 Amen.

## STELLA MATUTINA.

Vide in Lauretanis, fol. 136.

AVRORA CONSVR-  
GENS. 4

I.

**A**Vrora finis noctis eſt, diei verò  
 principium. Ita Beatiffima Virgo  
 cōcludit ea, quæ ſub ymbra olim  
 & ſi-

2 Cant. 6.

& figuris acta sunt : diem verò, id est, tempus gratiæ, & Solem iustitiæ, sua Natiuitate annunciat; ita canit Ecclesia; *Natiuitas tua Dei Genitrix Virgo, gaudium annunciauit vniuerso Mundo.* Et Rupertus Tuitiensis in Cantica, pulchrè id explicat; *a Quando, inquit, nata es ô Virgo beata, tunc vera nobis Aurora surrexit. Aurora præ-nuncia diei sempiterni : Quia sicut aurora quotidiana finis est præterita noctis, & initium diei sequentis. sic Natiuitas tua &c. finis dolorum, & consolationis initium; finis tristitiæ, & letitiæ nobis extitit principium.*

2.

Aurora consurgente, feræ ad latibula sua confugiunt. Ita olim infernales bestiæ, ad necem generis humani grassabantur; erat enim nox & omnia obscura, in Lege Naturæ, & Legis scriptæ. Tempore gratiæ autem præcessit hæc Aurora, Beatissima inquam Virgo Maria, terris exorta.

3. Obmu-

a Cap. 6.

3.

Obmutescere facit aurora, aues nocturnas; fugat vespertiliones. *Fures quoq;*, vt Iob ait, *a qui aurora surgente arbitrantur vmbra mortis, & sic in tenebris, quasi in luce ambulant.* Taceo alia opera tenebrarum, quæ lucem fugiunt, & Solem Iustitiæ, quem hæc nostra Aurora, Beatissima inquam Virgo Mundo attulit. *b Ego sum lux Mundi,* inquit de seipso Christus Dominus, *qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Expetiuit hanc lucẽ olim Zacharias Propheta, quando dixit, *illuminare his qui in tenebris, & vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam, pacis.* Hanc lucem Maria Mundo genuit, & quasi aurora præcessit.

4.

Aurora terminum sopori ponit, & initium labori. *Tunc exhibit homo ad opus suum, & ad operationem suam, vsque ad vesperam.* *a* Quam somnolentum fuit sæculum ante tempus Gratia: de paucis Patriar-

*a Iob. 24. b Ioan. 8. c Psal. 103.*

Patriarchis, & Amicis Dei legimus. *tempore autem gratia, populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* a

5.

Aurora, quasi auium hora; quia tunc incipiunt modulari. hoc Angeli, & homines deuoti præstant. Corde & animo, Christo canamus gloriam, in hac sacra solennitate, præcelsæ Genitricis Dei Mariæ, canit Ecclesia in festo Natiuitatis eiusdem. Item, Cum iucunditate natiuitatem B. Mariæ celebremus &c. *Cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* b quod de Angelis passim Doctores intelligunt, qui laudibus Beatissimæ Virginis mirificè recreantur.

6.

Aurora rorat. *ros descendit in vterum Virginis, sicut in vellus Gedeonis.* c concha hæc plena rore, Angelus gratia plenam pronun-

a Esa. 9. b Iob 38.

c Iudic. 6.

pronuntiauit. Ros omnia fœcundat. *Ecce quasi ros, & Israel germinabit quasi lili-um.* a hoc lilium inter spinas Iudaicas natum est. Quidam flores circa auroram se expandunt: ita cor Virginis, & corda iustorum, *Mane oratio mea praeueniet te.* Psal. 87.

7.

Aurora, maximè tempore æstus grata quadam aura plerumque flat, & omnia refrigerat. *Vocem quasi auræ lenis audiui,* inquit Iob. b Si ipse propter Spiritum prophetiæ sensit illam lenem, & gratam auroræ vocem, multo magis nos, huius tanti mysterij conscij, recreabimur. Quam recreati sunt Patres in Limbo, quibus hoc mysterium reuelatum creditur? & alij pij homines ad auroram, & initium felicissimi temporis gratiæ, Ioseph, Simeon, Anna, parentes B. Virginis &c.

8.

Aurora releuat infirmitates corporis: ita

a Ose. 14. b Iob. 4.

ris: ita Maria languores animæ. Languet aliquando animus oppressus desiderijs noxijs, æstuat; sed aspirante hac aurora, respirat, recreatur lumine quodam, & solatio interno.

9.

Aurora restituit omnibus rebus colorem: cœcæ tenebræ peccati omnia inuoluunt: palpant peccatores ad parietem: aurora autem lumen affert, apparet vanitas rerum, & turpitudine peccati.

10.

In aurora colligebatur Manna. Exod. 16. quem tantis desiderijs Patres tot sæculis de cœlo petebant (*rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum*) in hac aurora tandem, tanquam optatissimum Manna è cœlo delapsus est;

*Ego sum panis, inquit, qui de cœlo descendit.*

( \* \* )  
\* \*

PIÆ

PIÆ CONSIDERATIO-  
NES.

1.

**S**I æstuas desiderijs nociuis, capta auram, aperi fenestras cordis tui, frue-  
re hac aurora. *Os meum aperui, & at-  
traxi spiritum*, inquit Dauid. quando a-  
nimo tuo ægrè est, & impotenti affectu  
pectus calet, hanc auroram alloquere,  
*Virgo singularis, inter omnes mitis, nos culpis  
solutos, mites fac & castos.*

2.

Surge qui dormis, & illuminabit  
te hæc aurora: noli diutius stertere pi-  
ger in lecto, sicut cardo in ianua. Sur-  
ge ad labores. In aurora videtur totus  
Mundus reuiuiscere, qui de nocte qua-  
si in mortis imagine delitescit. Hæc no-  
stra aurora suscitât pios animos, & ala-  
cres



alacres facit, ad seruitium Dei, eiusque obedientiam, & amorem.

3.

Attende quale lumen hæc aurora secum ferat: Ostendet tibi turpitudinem peccati, rerum vanitatem, Virtutum decorem, cœlestis patriæ amœnitatem. Roga hanc auroram, vt illuminet oculos tuos, ne vnquam obdormias in hac mortis ymbra.

4.

In hac aurora, collige Manna, vt olim moris erat, Exod. 16. ferax est variorum donorum, & roris cœlestis. Post habitis omnibus alijs mane hanc auroram saluta. Exurge cum cythara tua, mane diluculo, audi clamantem, *Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilant ad me, inuenient me. Mecum sunt diuitie & gloria &c.*

Q

5. Ma-

a Prou. 8.

Mane incipe modulari cum auibus, erumpe in laudes Dei, & Virginis Matris eius: nam laudant Deum astra matutina, id est, Angeli, & animæ solertes, Deo deuotæ. Nosti illud S. Casimiri: *Omni die, dic Maria, mea laudes anima: Eius festa, eius gesta, cole deuotissima.*

## ORATIO.

**O** Æternæ lucis prænuncia, amabilis aurora, dulcissima Virgo Maria, quæ olim in Natiuitate tua totum Mundum, etiam ipsum Limbum Patrum recreasti; exsurge, & illumina tenebras mentis meæ: recrea languens cor meum, & suauissima aura gratiæ tuæ affla, noxium æstum tempera: fac me alacrem ad seruitium Dei; laudem te cum astris matutinis; videam pulchritudinem tuarum prærogatiuarum, omniumque Virtutum; Infer solem iustitiæ  
cordi

cordi meo, vt videam numerum iniquitatum mearum, & sciam quid desit mihi. Quæ in cœlis coronata triumphas in omnem æternitatem, Amen.

## P V L C H R A V T L V -

N A. a

I.

**F**ecit Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præffet diei, & luminare minus, vt præffet nocti. *b* Peccatores in tenebris ambulare, & opera tenebrarum facere passim in S. Scriptura reperitur. Hos frequenter Luna nostra, Beatissima Virgo Maria illuminat, & misericordiæ suæ radijs, tenebras eorum discutit, ne tanquam cœci ambulent, & parietem palpent. *c*

Q 2

2. Con-

a Cant. 6.

b Gen. 1.

c Esa. 59. Iob. 5. &amp; 12.